

Angelorum Rege. Cardinalis de la Rochefoucault Missam celebravit coram Henricia sola & Regni Proceribus, & consuetam benedicendi formulam de industria omisit, quam nec recitare potuisset; siquidem sacrificio non intererat Procurator Regis Angliæ: iste enim post significatam Regis sui nomine per verba de *præsenti* voluntatem, Henriciam in conjugem accipiendi, in palatium episcopale sese receperat. Quâ de re legi potest historia ministerii Cardinalis de Richelieu, ad annum 1625.

Quæres quænam conditiones licitum faciant catholicorum cum hæreticis Matrimonium.

Resp. licitum esse, si pars Catholica justam habitura sit facultatem omnibus Religionis officiis fungendi; si nullum sit subversionis in fide periculum prudenter timidum; si nullum in contrahendo scandalum occurrat; si in bonum commune cedat; si petita & concessa fuerit à legibus ecclesiasticis immunitas; si liberorum in fide catholica institutioni satis provisum fuerit; unde illcita sunt Matrimonia cum Hæreticis eâ lege contracta, ut masculi in patris, & puellæ in matris Religione educantur.

CAPUT II.

De impedimentis Matrimonium dirimentibus.

QUINDECIM numerantur impedimenta dirimentia quæ istis versiculis continentur:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Mens, affinis, si clandestinus, & impositus;
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto;
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

De errore satis dictum fuit, (*Dissert. I. cap. 4. art. I.*) ubi ostendimus errorem qui circa personam versatur, Matrimonium dirimere, ut si Petrus, v. g. vellet *Catharinam* ducere uxorem, cujus loco substituta fuit *Agnes*. Ratio est quod hujusmodi error consensum penitus tollat; nedum enim velit Petrus cum Agnete Matrimonium contrahere, de eâ nequidem cogitat.

Conditionis nomine hic intelligitur status servitutis; undè fit ut aliquis sub Domini potestate ita sit constitutus, ut ab eo vendi possit. Ex jure canonico, si persona libera illius cui nupsit servitutem ignoraverit, irritum fit Matrimonium; si verò sponsus liber servilem alterius conditionem, ante contractum Matrimonium noverit, tunc ratum validumque est conjugium. De conditionis impedimento plura dicere supervacaneum esset, quia status servilis in Galliâ nostrâ locum non habet.

Nunc superest ut de aliis impedimentis dirimentibus novem in articulis differamus.

ARTICULUS PRIMUS.

De impedimento voti.

Agitur hic de voto castitatis servandæ aut Religionis suscipiendæ. Duplex distinguitur: aliud simplex quod absque solemnioribus ceremoniis Deum inter & voventem emittitur; aliud autem solemne quod fit in Religione approbata, per solemnem illius professionem. Prius esse impedimentum prohibens duntaxat, superiori capite ostendimus; posterius autem votum contractas, postquam emissum fuit, nuptias dirimere sic definit Concilium Tridentinum: *Si quis dixerit ... Regulares, castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante ... voto, ... anathema sit.* (*Sess. 24. de*

Matrim. can. 9.) Eandem esse fori secularis disciplinam testatur nonnulla Supremorum Senatorum, aliorumque Tribunalium decreta quibus irrita declarantur conjugia, quæ à Monachis quibusdam & Virginitatibus religiosam vitam professis, per summum scelus tentata fuerant.

ARTICULUS II.

De impedimento cognationis.

Cognatio duplex distinguitur, alia *naturalis* quæ suam ex generatione carnali ducit originem, & dicitur consanguinitas; alia *spiritualis* quæ nascitur ex conjunctione spirituali, per Baptismum & Confirmationem inducitur. De utraque seorsim agendum.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

De cognatione naturali.

Cognatio naturalis, sive consanguinitas definitur *personarum ab eodem stipite descendendum vinculum*, sive ætissima conjunctio ex ejusdem sanguinis communiione proveniens. In consanguinitate tria sunt consideranda, nimirum *stipes*, *gradus* & *linea*. *Stipes*, gallicè *la souche*, est persona ex qua aliæ ducunt originem, quemadmodum ex eodem arboris tronco prodeunt rami. *Gradus* est intervallum quo consanguinei inter se à communi stipite distant: sic dicitur à similitudine graduum scalæ, quos ita decurrimus, ut à proximo ad proximum fiat ascensus vel descensus.

Linea est series personarum ab eodem stipite per diversos gradus descendendum. Alia est *directa*, alia *collateralis*, sive *transversa*. *Directa* est series personarum quæ aliæ ab aliis descendunt viâ generationis, ut proavus, avus, pater, filius: dicitur

linea descendendum, si à stipite progrediamur ad posteros; *ascendum* verò, si à posteris incipiendo perveniamus ad stipitem.

Linea collateralis, sive *transversa* est series personarum, non quæ aliæ ab aliis procreatae fuerint; sed quæ à communi stipite descendant, ut frater & soror, consobrini & eorum filii. Hæc autem linea modò dicitur *æqualis*, cum scilicet personæ quarum cognatio queritur, à stipite æqualiter distant, ut duo fratres: uno quippe gradu uterque distat à patre; modò dicitur *inæqualis*, quando nimirum diversa est personarum à communi stipite distantia; sic frater & fratris filius sunt in lineâ inæquali: frater enim à patre in quo stipitem ponimus, distat uno gradu, filius verò fratris duplici gradu.

Quæres 1^o. quomodò computari debeant consanguinitatis gradus.

Resp. tres eâ de re à jure canonico constitutas esse regulas.

I. REGULA quæ ad lineam rectam pertinet: In lineâ ascendendum & descendendum tot sunt gradus quot sunt personæ, dempto stipite; v. g. pater, filius, nepos, pronepos, quatuor sunt personæ, & tres gradus constituunt. Tot sunt enim gradus in quatuor personis, quot sunt distantie unius ab alia: atqui in quatuor personis tres sunt distantie unius ab alia; cum ibi tres sint generationes, & unaquæque generatio à communi stipite removeat; stipites autem non potest gradum facere, cum à semetipso non distet, & spectetur ut primitivus profapia radix & origo.

Ex inferiori stemmate hæc regula magis eluceſcet.

Petrus ſtipes.

I. Jacobus, Filius.	I. Joannes, Filius.
II. Ludovicus, Nepos, <i>Petit-fils.</i>	II. Franciſcus, Nepos.
III. Guillelmus, Pronepos, <i>Arrière-petit-fils.</i>	III. Laurentius, Pronepos.
IV. Claudius, Abnepos, <i>Enfant de l'arrière-petit-fils.</i>	IV. Vincentius, Abnepos.

Dempto ſtipite, nimirum Petro, quatuor ſuperſunt perſonæ quæ totidem gradus & generationes efficiunt. *Claudius* & *Vincentius* abnepotes; in quarto conſanguinitatis gradu ſunt cum *Petro*; *Guillelmus* & *Laurentius* pronepotes in tertio ſunt gradu cum eodem *Petro*; *Jacobus* autem & *Joannes* filii in primo gradu ſunt cum *Petro* ſtipite.

II. REGULA quæ ſpectat lineam *collateralem* æqualem, ita ſe habet: In linea *collaterali* æquali perſonæ eodem gradu à ſe invicem diſtant, quo à ſtipite communi; v. g. duo fratres inter ſe diſtant in primo gradu, quia eadem eſt eorum diſtantia à patre in quo conjunguntur: filii autem duorum fratrum inter ſe diſtant in ſecundo gradu, quia in eodem removentur à communi ſtipite, ſcilicet ab

avo. Ratio autem ita computandi eſt, quòd conſanguinitatis radix & origo poſita ſit in conjunctione perſonarum cum ſtipite communi, non poſſunt igitur conſanguinei plus minùſve à ſe invicem diſtare, quàm à ſtipite communi.

In ſuperiori ſtemmate *Jacobus* & *Joannes* filii *Petri* ſunt inter ſe in primo conſanguinitatis gradu, quia uterque uno tantum diſtat à *Petro*, communi ſtipite. *Ludovicus* & *Franciſcus* nepotes *Petri* in ſecundo gradu ſunt conſtituti, quia uterque à *Petro* ſtipite duplici gradu diſjungitur.

III. REGULA. In linea *collaterali* inæquali, eo gradu à ſe invicem diſtant conſanguinei, quo recedit à ſtipite perſona quæ remotior eſt: exempli gratiâ, patruus (*oncle paternel*) & fratris filius, in ſecundo gradu inter ſe diſtant, quia patruus in primo, & fratris filius in ſecundo gradu diſtat à communi ſtipite nimirum ab avo, cujus ille filius eſt, & hic nepos (*petit-fils*). Hujus computationis ratio eſt, quòd ſi in linea *collaterali* inæquali, gradus repetendus eſſet à conſanguineo qui ad ſtipitem propius accedit, magna foret in gradibus conſuſio; interdum enim contingeret ut in primo gradu duo conſanguinei dicerentur, quorum alter in primo, & alter in tertio vel in quarto recederet à communi ſtipite, ſicque perindè ac fratres conjungerentur.

In propoſito, v. g. ſtemmate, *Jacobus* filius *Petri*, & *Franciſcus* nepos *Petri* in ſecundo gradu conjuncti ſunt, quia, licet *Jacobus* uno tantum diſtet à *Petro*, *Franciſcus* tamen ab eodem duplici gradu diſtat. Sic etiam *Ludovicus* nepos *Petri*, & *Laurentius* pronepos ejuſdem *Petri*, in tertio gradu ſeſe contingunt, quia *Laurentius* triplici gradu diſtat à *Petro*.

Ut facile dignoſcatur quo in gradu conſanguinei ſint, qui Matrimonium ſimul contrahere volunt, hæc methodum proponit Collator Andegavenſis: *Il faut dresser un arbre de généalogie, & con-*

mencer par écrire au bas du papier le nom & le surnom de celui qui veut se marier, & à côté, un peu loin, le nom & surnom de celle qu'il veut épouser; mettre au-dessus de chacun les noms de leur pere & mere, mettre les noms de leur ayeul & ayeule, & continuer jusqu'à ce qu'on trouve la souche commune qui cause la parenté. (Confér. sur le Mariage tom. 2. pag. 146. édit. de 1767.)

E X E M P L E.

De Pierre Garnier, souche commune,
font idus

Robert,	} 1. Degré. }	Jean,
Pierre,	} 2. Degré. }	René,
Jacquine mariée à Joseph Lambert,	} 3. Degré. }	Jacques,
Paul Lambert qui veut épouser Marie Garnier,	} 4. Degré. }	Marie Garnier du mariage de laquelle il s'agit.

Quæres 2^o. quo in gradu consanguinitas Matrimonium dirimat.

Resp. consanguinitatem in quocumque lineæ rectæ gradu dirimere Matrimonium, & ideo nuptiæ contrahi non possunt inter patrem & filiam, vel avum & nepiæm, (petite-fille)... & usque in infinitum, inquit Nicolaus I, ad consulta Bulgarorum; (Cap. 39. tom. 8. Concil. p. 530.) quod juri civili consentaneum est. (Lib. 1. institut. tit. de nuptiis.)

In linea autem collateralis cognatio ad quartum usque gradum, sed non ultra, impedimentum est dirimens, nisi præcesserit dispensatio. Ita definitum est à Concilio Lateranensi IV sub Innocentio III an. 1215; illudque decretum hæcenus in Ecclesia Latina constanter observatum fuit; antea verò diversa fuerat variis temporibus Ecclesiæ disciplina. Quatuor enim prioribus sæculis valida & licita fuerunt Matrimonia in secundo gradu contracta, five inter consobrinos & consobrinas, id est, inter filios & filias fratrum vel sororum: *Id nec divina prohibuit & nondum prohibuerat lex humana*, inquit Augustinus. (Lib. 15. de civitate Dei, cap. 16. n. 2. tom. 7. pag. 398.) Deinde autem invaluit consuetudo, ut consanguinitas ad septimum usque gradum esset impedimentum dirimens.

Quæres 3^o. quo jure consanguinitas irritum faciat Matrimonium.

Resp. Ex communi Theologorum sententiâ, Matrimonia consanguineorum in quolibet lineæ rectæ gradu, jure non solum ecclesiastico, sed etiam naturali irrita sunt. 1^o. Quia hujusmodi conjugia naturali instinctu abhorruerunt gentes omnes bene institutæ; 2^o. quia exigit natura ordo ut liberi semper eodem modo parentibus subditi sint: atqui si filii matrem, aut filia patrem in conjuges accipere possent, certè minus post Matrimonium liberi parentibus essent subditi, quam antè; quia cum iisdem una caro esset, essent ipsis ferè pares; quod præsertim verum esset in filiis qui matres vel avias ducerent; tunc enim aviam vel matrem filio subditi oporteret, siquidem mulieres debent esse viris suis subditi; id autem natura ipsa reprobatur.

De Matrimoniis autem consanguineorum in linea collateralis factis, præcipua difficultas spectat conjugium fratris cum sorore. Illud autem jure naturali nec prohiberi, ideoque nec dirimi videtur probabilis: quod enim jure naturali interdicitur, per

se malum est : atqui Matrimonium fratris cum sorore per se malum non est, siquidem à primis mundi exordiis permillum fuit ; alia enim fieri tunc non poterant conjugia : quis autem crediderit Deum sic genus humanum instituisse ; ut primi homines statim ipsas naturæ leges violare coacti fuerint ? Duplex autem potissimum fuit ratio, propter quam cognationis impedimentum induceret Ecclesia ; 1^o. ut refrenaretur concupiscentiæ libido quæ inter consanguineos, quos simul commorari plenumque necesse est, haud dubiè exarsisset, si ipsis indiscriminatim permilla fuissent conjugia ; 2^o. ut per Matrimonia cum extraneis contracta multiplicarentur necessitudinum vincula, sicque latius diffunderetur caritas.

PARAGRAPHVS II.

De impedimento cognationis spiritualis.

Cognatio spiritualis ea est quæ ex Baptismate & Confirmatione nascitur. Cum enim Baptismus sit spiritualis quædam & nova generatio, in qua tum baptifans, tum susceptores vicem patrum gerunt, visum est dedecere ut qui baptifati sunt, aut ex fonte sacro suscepti, cum iis Matrimonium contrahant, à quibus vel baptifati, vel suscepti fuère. Ex Concilio autem Tridentino spiritualis, hæc cognatio inducitur 1^o. inter susceptores & baptifatum, ipsiusque patrem & matrem ; 2^o. inter baptifantem & baptifatum huiusque patrem & matrem. (*Sess. 24. de reform. matr. cap. 2.*)

Cognationis spiritualis impedimentum, ut potè jure tantum ecclesiastico inducitur, ab his folis contrahitur, qui Ecclesiæ legibus subjacent. Unde sequitur 1^o. infideles qui Baptismum conferunt, huic cognationi non esse obnoxios, quia ad Ecclesiam nullo modo pertinent ; 2^o. hæreticos qui idem Sacramentum administrant, vel in eo sunt

sponsores, seu *patrini*, in impedimentum illud incurere : quamvis enim sint ab Ecclesia extorres, non idè censeri debent ab illius jurisdictione immunes, sed ei semper subjiciuntur propter impressum sibi à baptismate characterem qui nunquam deleri potest ; 3^o. infidelem qui fidem amplectitur, posse licitas & validas nuptias cum ea celebrare quam baptifavit, quo tempore erat infidelis ; 4^o. hæreticum, quando ad unitatem Ecclesiæ revertitur, separandum esse à conjugè quam baptifavit, vel cujus sponsor fuit in baptismate.

Quæres 1^o. an cognationis impedimentum erga eos locum habeat, qui infantem, urgente necessitate, baptifaverint.

Resp. jure canonico excipi patrem qui filium à legitimâ uxore susceptum baptifat ; (*Lib. 4. Decretal. tit. 11. de cognat. spirit. cap. Si vir.*) alios verò quoscumque impedimento cognationis spiritualis obnoxios esse, quia in præfata constitutione non excipiuntur.

Quæres 2^o. an procurator qui alterius nomine infantem de sacro fonte suscipit, ut non raro fieri solet, cognationis spiritualis impedimentum subeat.

Resp. probabiliorè videri eorum sententiam, qui docent non procuratorem impedimento cognationis spiritualis obstringi, sed eum cujus nomine agit ; quemadmodum in Matrimonio per procuratorem inito, non ipse, sed persona quam refert, affinitatem cum consanguineis conjugis contrahit. Ratio est, quia non procurator, sed ille solus à quo delegatur, censetur vicariâ ejus manu agere.

Dices : Si quis Parochus alterum Sacerdotem ad baptifandum infantem suo loco substituat, spiritualem cognationem non parochus contrahit, sed Presbyter ab eo delegatus ; ergo pariter non in susceptorem delegantem, sed in procuratorem delegatum recidit cognatio spiritualis.

Resp. Neg. conseq. & paritatem. Qui enim Parochi vice baptizat, Parochi nomine Baptismum non confert; sed solius Christi cuius est immediatus Minister, & cuius personam gerit; contra verò procurator qui infantem de fonte Baptismatis suscipit, non suo, sed delegantis nomine agit; quapropter non ipsum, sed delegantem afficit cognatio spiritualis.

Quæres 3°. an *patrinus* & *matrina* qui interfunt, quando in Ecclesia puero, jam validè ab absterrice baptizato, suppleant duntaxat ceremoniæ, spirituales cognationem contrahant.

Resp. eam ab ipsis non contrahi. Huiusmodi enim cognatio non pertinet nisi ad personas de quibus loquitur Concilium Tridentinum: atqui mentionem non facit, nisi de iis qui *patrini* & *matrina* munere funguntur in solemnibus Baptismi celebratione; tacet verò de illis qui interfunt, dum puero suppleantur ceremoniæ; ergo, &c.

Quæres 4°. an *patrinus* & *matrina* pueri, quem Presbyter iustis de causis sub conditione baptizat, cognationem spirituales contrahant cum baptizato illiusque parentibus.

Resp. ea de re diversas esse Theologorum sententias: affirmans tamen probabilior videtur & tutior; probabilior quidem: *patrinus* enim & *matrina* puerum de sacro fonte reipsa suscipiunt; tutior etiam, quia si prius Baptisma de quo dubitatur, nullum fuerit, posterius, ut potè validum, omnem procreat effectum qui Baptismo convenit, ab eo proinde inducitur cognatio spiritualis. Cum in dubiis, & maximè ubi agitur de Sacramentis, tutiorem partem eligere quisque teneatur, *patrinus* filia quæ fuit sub conditione baptizata, sine dispensatione non debet, vel eam, vel ejus matrem ducere uxorem.

Quod diximus de cognatione spirituali per Bap-

tismum inducta, idem dicendum de cognatione cui locum præbet Confirmatio, quæ spiritualis nativitatis per Baptismum inchoatæ perfectio est: ex Confirmatione tamen, nostrâ ætate, rarò nascitur impedimentum, quia *patrinos* & *matrinas* in eo Sacramento adhibendi usus ferè penitus obsolevit.

ARTICULUS III.

De impedimento cultus disparis.

Quæres 1°. quid sit impedimentum cultus disparis.

Resp. Impedimentum illud ex diversâ contrahentium Religione nascitur. Per Religionem autem disparem hic non intelligitur ea quæ fidelem ab hæretico secernit, & quam ostendimus impedimentis tantum prohibentibus annumerari; sed agitur de Religionis diversitate, quæ baptismum inter & non baptismum intercedit. Cultus ergo disparitas est, quando baptizatus Matrimonium contrahit cum muliere non baptizata, aut vice versa.

Quæres 2°. an huiusmodi Matrimonia lege divina ita fuerint prohibita, ut nunquam valuerint.

Resp. Minimè quidem: nulla enim conjugia in Veteri Testamento tam severè interdicuntur, quam Judæorum cum mulieribus alienigenis & infidelibus: atqui tamen Matrimonia Judæorum cum alienigenis, præsertim extra Chananeam gentem, præ ceteris Deo invisam, nunquam ita generalim vetita sunt, ut nullo in casu rata fuerint; siquidem Jacob pro uxoribus accepit filias Laban idololatæ; Joseph filiam Putipharis Ægyptiæ, Moyses filiam Jethro Æthiopiæ, Esther nupsit Ahasueri qui Gentilis erat; ergo nonnullis in circumstantiis licitum erat Judæis cum Gentilibus Matrimonia contrahere.

Nullus etiam est in Novo testamento locus, qui hujusmodi Matrimonia generatim prohibeat. Nostri temporibus, ait Augustinus, jam non putantur esse peccata hæc Matrimonia, quoniam revera in Novo Testamento nihil inde præceptum est, & idè aut licere creditum est, aut relicum ut dubium. (*Lib. de fide & operibus, cap. 19. n. 35. tom. 6. pag. 185.*)

Præterea si generatim & in quolibet casu interdicta fuissent hæc Matrimonia, ab iis procul dubio abstinuissent mulieres pietate insignes: atqui tamen contrarium certum est. Nam Eunice Timothei mater pia & fidelis erat: atqui tamen, ut jam diximus, nupserrat infideli; Monica S. Augustini mater Patricio infideli juncta fuit; Clotildis christiana nupserrat Clodovæo Regi Francorum, idolatriæ nexibus adhuc irretito; ergo, &c.

Quæres 3^o. quonam igitur jure investum fuerit illud impedimentum, & propter quas causas.

Resp. ex communi Theologorum sententiâ, jure tantum ecclesiastico inductum esse hoc impedimentum dirimens, idque solâ Ecclesiæ consuetudine quæ vim legis obtinet, potius quàm ullius Concilii Canone quo declaretur Matrimonia fidelium cum infidelibus nulla esse & invalida. Ex iis enim quæ apud Gratianum leguntur, (*Cap. 28. quæst. 1.*) id unum colligi potest, nempe illicita fuisse hujusmodi conjugia, sicut & catholicorum cum hæreticis connubia.

Dirimentis autem illius impedimenti instituendi justissimæ & gravissimæ fuerunt causæ; 1^o. propter periculum subversionis in fide, cujus flebile & formidandum exemplum videre est in Salomone: *Nam cor ejus depravatam est per mulieres ut sequeretur deos alienos;* (*Lib. 3. Reg. II. 4.*) 2^o. propter summam liberorum christianè instituendorum difficultatem; 3^o. ob rixas & jurgia quæ præsertim in religionis diversitate frequentia sunt

& atrociora; 4^o. demùm propter obices quos in explendis Religionis Christianæ officiis, uxori fideli opponeret maritus infidelis.

ARTICULUS IV.

De impedimentis violentiæ, Ordinis & ligaminis.

Quia vis metum generat aliquandò ita gravem, ut eam consensus libertatem non permittat, quæ ad Matrimonium requiritur, idè impedimentis dirimentibus annumeratur. Metus autem gravis per violentiam illatus, Matrimonium rescindere non valet, nisi injustè, ad extorquendumque in nuptias consensum incutiatur, ut jam ostendimus. (*Dissert. I. cap. 4. art. 2.*) Quem locum consule.

Quæres 1^o. Quosnam Ecclesiæ Ministros spectet impedimentum Ordinis.

Resp. Ordinis impedimentum ad Subdiaconos tantum, Diaconos & presbyteros spectat, quia juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam, omnes & soli Clerici in sacris Ordinibus constituti, ad servandam continentiam ita obstringuntur, ut Matrimonium validè contrahere non possint. *Si quis dixerit,* ait Concilium Tridentinum, *Clericos in sacris Ordinibus constitutos. . . posse Matrimonium contrahere, contraque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, . . . anathema sit.* (*Sess. 34. de Matrim. can. 9.*)

Nuptias verò Clericis interdictas voluit Ecclesia, ne rerum temporalium sollicitudine, & carnalibus desideriis implicati, à Dei cultu ministeriisque ecclesiasticis distraherentur. Nam qui sine uxore est, ait Apostolus, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo; qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodò placeat uxori, & divisus est. (*I. Cor. 7. v. 33. & 34.*)

Quæres 2^o. quid sit impedimentum ligaminis.

Resp. Impedimentum ligaminis in eo fitum est, quod conjux nequeat, vivente priori conjuge, novum contrahere Matrimonium: polygamiam enim jure tum divino, tum ecclesiastico prohibitam esse, alibi demonstravimus; mulier igitur cujus maritus jamdudum abest, & de quo nihil à multis annis audivit, non potest aliud Matrimonium inire, nisi de mariti sui obitu moraliter certa sit. Quapropter si Parochus vel minimum dubitet an certa sint testimonia, quæ solent in iis casibus proferri, debet rem ad Episcopum, vel ad Judicem Ecclesiasticum deferre. Quod si maritus tandem redierit, postquam ad secundas nuptias transit, hæc, dimisso posteriori marito, debet ad priorem reverti.

ARTICULUS V.

De impedimento criminis,

Crimen Matrimonium dirimens est quibusdam in circumstantiis solum vel adulterium, vel homicidium, vel utrumque simul junctum. Et 1^o. quidem *adulterium solum*, cum scilicet vel ante, vel post commissum hoc scelus, adulteri mutuam sibi fidem dederunt de Matrimonio post obitum conjugis innocentis contrahendo. (*Cap. Relatum, quæst. 1.*) Nihil autem refert, sitne promissio hæc ficta, an sincera, cum promissio simulata quæ vera creditur, non minus valeat ad homicidium vel adulterium impellere, quam si vera esset: ab illis autem criminibus fideles deterere voluit Ecclesia, cum impedimentum de quo agitur instituit.

2^o. *Homicidium solum*, cum scilicet ex amborum conspiratione, etiam non interveniente adulterio alter conjugum occiditur. Regulam hanc tradit Coelestinus III. Quidam enim Saraceni captivi, cæcis mulierum Christianarum viris ex earum

consensu,

consensu, ipsas acceperant in uxores. Interrogatus autem Summus Pontifex, an valerent hæc Saracenorum Matrimonia cum illis mulieribus per quas ad fidem conversi fuerant, sic respondit: *Hic Triburiensis Concilii regulâ contenti sumus, asserentes quòd si in mortem ipsorum malitiosè fuerint machinata, licet earum studio ad fidem accesserint, tamen nec eis adhærere debent, nec sunt, si adhæserint, tolerandi.* (*Decretal. pag. 1275.*)

3^o. *Adulterium cum homicidio junctum* dirimit Matrimonium, quando scilicet post admissum adulterium, quamvis sine datâ de futuro Matrimonio fide, conjux unius ab alterutro adultero occiditur, etiam absque alterius consensu, sive absque mutua conspiratione. Cum enim adulterio accedit homicidium, sufficit ut alteruter homicidium perpetraverit. Sic enim decernit Alexander III: *Tibi respondemus quòd si adulter est in mortem uxoris aliquid machinatus, sive fidem dederit, sive non, quòd, eâ defunctâ, hæc (quam adulterio polluit) esset ducturus, secundum Canones ab ejus consortio prohibetur, & hæc prohibitio perpetuò servanda est.* (*Decretal. pag. 1480.*)

ARTICULUS VI.

De impedimento publicæ honestatis.

Impedimentum illud oritur tum ex sponsalibus, tum ex Matrimonio rato, sed non consummato: *honestatis* verò impedimentum ideò dicitur, quòd Ecclesiæ inhonestum ac indecorum visum est, ut qui sponsalia vel Matrimonium cum muliere contraxit, aliam ex ejus consanguineis in uxorem accipiat.

Impedimentum istud ex sponsalibus proveniens locum non habet, quando ista non sunt valida; si verò rata fuerint, primum gradum non excedit,

Tom. V.

R

cum ad quartum usque protenderetur ante Concilium Tridentinum. Sic autem statuit Sancta Synodus: *Publicæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia quæcumque ratione valida non erunt, Sancta Synodus prorsus tollit; ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant, quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest hujusmodi prohibitio absque dispendio observari. (Sess. 24. de reform. Matrim. cap. 3.)* Non potest igitur aliquis Matrimonium valide inire cum forore, matre & filia illius quæcum sponsalia contraxerat.

Etiã dissolutis ex mutuo consensu sponsalibus, superest illud impedimentum. Ratio est quia, sicut sponsalia propria voluntate contraxerant, sic & eadem dirimere valent sponsi: cum autem non ex ipsorum consensu, sed ab Ecclesia sponsalibus annexum fuerit *publicæ honestatis impedimentum*, illud auferre penes solam Ecclesiam est; quinimo nec, interveniente alterutrius sponsi morte, tollitur, ut statutum est Can. *Si quis desponsaverit*, causa 37. quæst. 2.

Publicæ honestatis impedimentum Matrimonio rato, non consummato, illigatum non minus latè patet quàm ante Concilium Tridentinum: nihil enim in hac parte mutavit; cum igitur ante Sanctæ illius Synodi tempora, impedimentum Matrimonio rato annexum, ad quartum usque gradum pertineret, ad eundem etiamnum extenditur; idcirco si quis Matrimonium cum Catharina iniverit, quæ priusquam fuerit consummatum, obiit, non poterit absque dispensatione alteram ducere uxorem, quæ Catharinam in quarto consanguinitatis gradu contingat. Ita responsum est à Pio V, Pontifice Maximo, (*Constit. an. 1568. Ad Romanum.*)

ARTICULUS VII.

De impedimento affinitatis.

Quæres 1^o. quid affinitatis nomine hic intelligatur.

Resp. Affinitas quædam est personarum propinquitas, seu conjunctio, quam inducit viri & mulieris coitus carnalis, sive licitus in Matrimonio, sive illicitus extra Matrimonium, modo completus sit, ad prolisque generationem idoneus. Contrahitur hæc affinitas inter maritum & consanguineos uxoris, similiterque inter uxorem & consanguineos mariti, non verò inter utriusque cognatos. Si Paulus, v. g. Catharinam duxerit uxorem, tunc Catharinæ cognati Paulo erunt affines, & vicissim; sed inter consanguineos Pauli & consanguineos Catharinæ nulla ex ipsorum Matrimonio nascetur affinitas. Licet, ait Innocentius III, *omnes consanguinei viri sint affines uxoris, & omnes consanguinei uxoris sint viri affines, inter consanguineos tamen uxoris & viri, ex eorundem (scilicet viri & uxoris) conjugio nulla prorsus affinitas est contracta, propter quam inter eos Matrimonium debeat impediri. (Cap. Quod super his, extra de consanguinitate & affinitate.)* Hinc fratres & sorores unius conjugis nullo modo fratribus aut fororibus alterius fiunt affines, idèque possunt inter se Matrimonium contrahere.

Quæres 2^o. quomodo cognoscatur quo in gradu sibi affines sint duæ personæ.

Resp. in affinitate, sicut & in consanguinitate, distingui stipitem, lineas & gradus. Stipes sunt duæ personæ quæ coitu vel licito vel illicito unam carnem efficiunt, idèque non dicuntur affines, sed principium affinitatis, sicut pater & mater sunt

consanguinitatis fons & radix. Linea est personarum quæ sibi affines sunt ordo & series. Duplex distinguitur, recta scilicet & transversa, sive *collateralis*.

In linea recta constituuntur 1^o. *ascendentes* qui parentum locum obtinent respectu aliorum quos habent ut filios. Hujusmodi sunt gallicè *le beau-pere & la belle-mere, le vitric ou second mari de la mere, la marâtre ou seconde femme du pere, & les autres en remontant*; 2^o. *descendentes* qui liberorum tenent locum, quales sunt quos gallicè dicimus *le gendre & la bru, le beau-fils & la belle-fille, & les autres en descendant*. Denique in linea transversa, sive *collaterali* numerantur *le beau-frere & la belle-sœur, les oncles, les tantes, les cousins germains, & les autres parens dans les degrés plus éloignés*.

Quo pacto æstimentur affinitatis gradus sic exponit Collator Andegavenlis: *Les degrés de l'affinité se mesurent sur les degrés de la parenté, de sorte que les parens de la femme sont alliés du mari au même degré qu'ils sont parens de la femme; & il en est de même des parens du mari à l'égard de la femme. Ainsi les parens au premier degré de la femme, sont alliés au premier degré du mari, & tout de même des autres degrés*.

Pour connoître en quel degré d'affinité on est à une femme, on n'a qu'à compter en quel degré de parenté on est à son mari; parce qu'on sera allié à la femme au même degré qu'on se trouvera parent à son mari. Par exemple, si Perrine a épousé mon pere qui étoit veuf, cette belle-mere devient mon alliée au premier degré de la ligne directe; si mon frere a épousé Marie, elle devient mon alliée au premier degré de la ligne collatérale; si mon cousin germain a épousé Jacqueline, elle devient mon alliée au second degré de la ligne collatérale; si mon cousin issu de germain a épousé Claudine, elle devient mon alliée au troisième degré de la ligne colla-

térale: il en est de même pour les autres degrés de parenté. (*Confér. sur le Mariage.*)

Quæres 3^o. quis affinitatis gradus Matrimonium dirimat.

Resp. 1^o. quocumque affinitatis gradu in linea recta dirimi Matrimonium. Nullum igitur est conjugium inter focerum, *beau-pere*, & nurum, *belle-fille*; inter focrum, *belle-mere*, & generum, *gendre, mari de la fille*; inter privignum, *beau-fils*, & novercam, *belle-mere*. Hinc S. Paulus tanquam nefandi sceleris eum arguit, qui uxorem patris sui duxerat. (*1. Cor. 5. 1.*)

Resp. 2^o. Matrimonium in linea *collaterali* ultra quartum affinitatis gradum jure canonico non prohiberi, cum de conjunctione licita agitur. Quapropter vir consanguineam defunctæ uxoris in quarto vel magis proximo gradu, uxorem ducere sine dispensatione non potest; idem de uxore vicissim dicendum erga viri mortui consanguineos.

Resp. 3^o. affinitatem ex conjunctione illicitâ sive extra Matrimonium ortam, nuptias ultra secundum gradum non dirimere; ita sancitum à Concilio Tridentino. *Sancta Synodus*, inquit Patres, *gravissimis de causis adductâ, impedimentum quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, & Matrimonium postea factum dirimit, ad eos tantum qui in primo & secundo gradu junguntur, restringit: in ulterioribus vero gradibus statuit hujusmodi affinitatem Matrimonium postea contractum non dirimere.* (*Sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 4.*) Itaque si Petrus conjunctionem illicitam habuerit cum Maria, non potest absque dispensatione Matrimonium contrahere, vel cum sorore, vel cum *nepte* (gallicè, *niece*) ipsius Mariæ, quia soror in primo & neptis in secundo est gradu, & in utroque illo gradu affinitas ex illicitâ conjunctione orta Matrimonium dirimit.

ARTICULUS VIII.

De impedimentis clandestinitatis, amentia & impotentia.

De primo impedimenti genere jam satis diximus, ubi de conjugii clandestinis disputatum fuit; superest igitur ut de aliis duobus breviter disseramus.

Certum est ad contrahendum Matrimonium jure ipso naturali inhabilem esse, qui perpetuam laborat amentiam; ratio est quod hujusmodi homines rationis & libertatis usum non habeant, sine quo nullus esse potest contractus. Si tamen jam celebratum Matrimonium subsequatur amentia, illud non dissolvitur; quod si perpetua non sit, & per lucida rationis intervalla initum fuerit conjugium, validum erit, quia tunc adest sufficiens consensus. Sed illud genus homines à contrahendo Matrimonio, quantum fieri potest, deterreri debent; tum propter funestos qui ex recurrente amentia nasci solent effectus, tum quia inter primarios Matrimonii fines numeratur congrua liberorum educatio; quæ ab hominibus tantam infirmitate laborantibus vix ac ne vix quidem expectari potest.

Impotentia est defectus quo impeditur usus matrimonii. Multiplex distinguitur: alia Matrimonium antecedit, alia subsequitur; alia *perpetua* est quæ scilicet nullam arte licitam sanari potest; alia *temporalis* quæ aliquo naturali remedio potest submoveri; alia tandem *absoluta* est quæ locum habet respectu omnium alterius sexus personarum, & alia *respective* quæ nimirum locum non habet, nisi quoad aliquam personam: iis præmissis, hæc statui solent.

1^o. Sola antecedens perpetuaque impotentia est impedimentum dirimens; tum quia ea sola abso-

lutè impedit proles generationem quæ finis est Matrimonii primarius, tum quia impotentia subsequens, cum ratum supponat Matrimonium, non potest illud dirimere, ut pote jure divino indissolubile: quæ verò temporalis est, ac Medicorum arte sanabilis, cum omnem procreandæ proles spem non adimat, Matrimonium dissolvere non potest, cujus *actualis* usus ad ipsius veritatem non requiritur.

2^o. Impotentia *antecedens* & perpetua impedimentum est dirimens, sive *absoluta* sit, sive *respective* tantum; utraque enim fini primario Matrimonii, nempe liberorum procreationi, adversatur.

Quæres 1^o. quid factum opus sit cum unus conjux de alterius impotentia conqueritur.

Resp. Si perpetuam & antecedentem esse impotentiam constet, statim separandi sunt conjuges; si verò de impotentia vel ejus perpetuitate non constiterit, jure canonico conceditur triennium, ut intra illud tempus quibus potest licitis & honestis modis explorata sit impotentia; si tandem certa sit, dirimatur Matrimonium & separentur conjuges, nisi fortè simul tanquam frater cum sorore vivere consentiant. Extat eadem de re Coelestini III responsum. (*Titulo de frigidis, cap. Laudabilem.*)

Quæres 2^o. Si quis post dissolutum impotentia causam Matrimonium, alteram accipiat uxorem ex qua prolem habeat, num tenebitur eam deserere, & redire ad priorem? Ratio dubitandi est, quod perpetua non fuerit ipsius impotentia, quæ tamen sola dirimitur Matrimonium.

Resp. teste *Fevret*, hanc esse Gallia nostræ consuetudinem, ut dissoluto semel propter impotentiam conjugio, necessitas non imponatur conjugii qui ad novas nuptias convolvit, ad priorem uxorem redeundi, si forte deserit eam quæ laborabat

impotentia. (*Traité de l'abus*, liv. 5. ch. 4. n. 13.)
Cujus disciplinæ hæc esse videtur ratio, quod
perpetua esse queat impotentia viri respectu talis
mulieris, quæ non sit respectu alterius.

ARTICULUS IX.

De impedimento raptus.

Quæres 1^o. quomodo definiatur raptus.

Resp. Definiri potest: *Crimen quo femina à loco tuto extrahitur, & transfertur in locum ubi raptoris potestati subest, idque vel explendæ libidinis, vel Matrimonii contrahendæ causâ.*

Dicitur 1^o. *crimen*, quod societati civili ita perniciosum visum est, ut Regum nostrorum Edictis pœna mortis raptoribus decernatur. 2^o. *Quo femina*, sive enim virgo, sive vidua, sive uxor alicujus per vim abducatur, perinde est ad raptum, quia leges omnibus salvam facere voluerunt Matrimonii libertatem. 3^o. *Extrahitur*, vel physicè per injectas manus, vel *moraliter* per minas graves; item sive per se aliquis, sive per alios feminam rapuerit, nihil interest; in iis enim omnibus modis verus adest raptus. 4^o. *E loco tuto*, sive ille sit parentum tutorumve domus, sive Monasterium, sive alius quilibet locus in quo mulier, ut violentiæ subduceretur, constituta fuerat. 5^o. *Vel libidinis, vel Matrimonii causâ*, in utraque enim hypothesi reperitur tota raptus natura.

Quæres 2^o. quotuplex sit raptus.

Resp. Duplex distinguitur; alius *violentiæ* modò descriptus, quo scilicet mulier reluctans & invita, è loco tuto per vim abducitur; alius *seductionis*, cum nempe mulier blanditiis, promissis, illecebrâ voluptatis, aut quocumque alio modo seducta

raptorem, invitis iis à quibus pendet, volens sequitur.

Quæres 3^o. quid de raptu statuat Concilium Tridentinum.

Resp. Raptu dirimi Matrimonium sic pronuntiat: *Decernit sancta Synodus inter raptorem & raptam, quandiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere Matrimonium. Quod si raptia à raptore separata & in loco tuto & libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat: & nihilominus raptor ipse & omnes illi consilium, auxilium, & favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati.* (*Sess. 24. de reform. matr. cap. 6.*)

Quæres 4^o. an Concilium Tridentinum novam induxerit disciplinam.

Resp. novam ex aliqua parte disciplinam ab eo fuisse institutam: raptores enim ab omni spe conjugii cum raptâ in perpetuum excludebantur veteres quosdam Canones, v. g. Meldensis Concilii an. 847, quibus consentiunt Justiniani Imperatoris Novellæ, (143. & 150.) Carolique Magni Capitularia: (*Lib. 1. cap. 104.*) Concilium verò Tridentinum hanc juris severitatem temperavit, dum noluit impedimentum raptus esse perpetuum; sed tandiu solum permanere statuit, quandiu mulier sub raptoris potestate esset: adeo ut si ab eo separata, tutoque in loco constituta, illum habere in virum consentiat, ipsi nubere validè possit; sed priusquam raptor eam ducat uxorem, excommunicationis in quam incurrerat absolutionem debet obtinere.

Quæres 5^o. an solus violentiæ raptus Matrimonium dirimat.

Resp. Theologos extraneos quos sequitur *Cassutius*, passim contendere, juxta Concilii Tridentini mentem, solum violentiæ raptum, non

verò seductionis, sive, ut aiunt, *subnationis*; impedimentum esse dirimens; sed longè probabilius est opposita quæ apud nos viget sententia.

1^o. Quia procul dubio animum habuit Sancta Synodus id avertere, quod in raptu deterius est, ac sanctitati Matrimonii magis injuriosum: atqui talis est puellæ seductio quæ adjunctum habet raptum; plerumque enim multò facilius resistitur apertæ violentiæ quæ animum exasperat, nedùm conciliet, quàm infidiosis blanditiis, promissis, voluptatis illecebris, muneribus aut aliis artibus quæ sensum junioris puellæ virtutem labefaciunt.

2^o. Quia Patres Tridentinos non latebat, alium esse raptum qui vi apertâ, alium qui seductione fieret: atqui tamen inter raptorem & raptam nullum posse consistere Matrimonium, absolutè & sine ulla distinctione pronuntiant; quinimò nulla est distinguendi causa, quia ipsa seductio non minùs parit malum, quàm violentia, & pariter familiarum pacem conturbat, ipsisque probum & dedecus importat.

3^o. Ideò Concilium Tridentinum inter raptorem & raptam impedimentum constituit, quia ista sub raptoris potestate est, nec proindè satis sui compos, nec in loco tuto & libero: atqui in seductionis non secus ac violentiæ raptu, mulier est in raptoris potestate, nec proindè satis sui compos, nec in loco tuto & libero juxta Concilium Tridentinum; ergo non minùs seductionis, quàm violentiæ raptus, tanquam impedimentum dirimens juxta Patrum Tridentinorum mentem habendus est.

4^o. Quia Edictum Blesense ab Henrico III sub ipsis Cleri Gallicani oculis, & eodem conspirante, concinnatum, Synodi Tridentinæ mentem assequi debuit: atqui in hujus Edicti articulo 42 de raptu seductionis ita statuitur: *Voulons que ceux qui se trouvent avoir suborné fils ou filles mineures de vingt-cinq ans, sous prétexte de mariage, ou*

contre couleur, sans le gré & le consentement exprès des pères, mères, ou des tuteurs, soient punis de mort. (*Guénois, Conférences des Ordonnances, liv. 5. tit. 2. sect. 6 & 7. tom. 1. pag. 705 & 706.*) Articulus ille à Ludovico XIII confirmatus est Edicto an. 1639, (*art. 2.*) additque ista verba Princeps Christianissimus: *Conformément aux saints décrets & constitutions canoniques, Concilii nempe Tridentini & aliorum.* Quapropter à supremis Judicibus irrita & nulla declarantur Matrimonia, eo ipso quòd seductionis fraude facta esse constat.

Sed, inquiunt adversarii, hæc sola fuit Concilii mens, ut conjugiorum libertati consulereetur: fiat verò tota Matrimonii libertas, cum mulier volens & consentiens adducitur.

Resp. junioris puellæ voluntatem, dolo & illecebris quas nemo potest auferre deceptam, non satis esse sui compotem, ut eam censetur habere libertatem, quæ ad Matrimonium requiritur: atqui ubi intervenit raptus seductionis, voluntas puellæ decepta est ac veluti incantata, & quandiu seductoris à quo rapta fuit potestati subjacet, nullus est qui dolos, illecebras, artes quibus deluditur, possit depellere; ergo merito censetur eam omnem libertatem non retinere, quæ ad contrahendum Matrimonium necessaria est.

Quæres 6^o. quanam conditiones ad raptum seductionis requirantur.

Resp. oportere 1^o. ut raptor puellam verbis, precibus, blanditiis, promissionibus, circumvennerit; 2^o. ut è loco tuto abducta in raptoris potestatem transierit; 3^o. ut res, insciis & invitis parentibus, peracta fuerit: si enim & ipsi consenserint, non erit raptui locus; 4^o. ut puellæ & filii sint *minores*, & annum 25 non excefferint: qui enim *maiores* sunt, nec parentum dominio, nec seductioni censentur obnoxii.